




1. Bartholomaeus Christ. Gotthilf diff. de
juxua summo Sacerdote, Altenburgi
1750.
2. Baumgarten f. D. Sigism. Jac. /
diff. de fraternitate christiana,
Halle 1750.
3. ————— diff. de protestantia
salutis humanae per christum
parte, pro felicitate concorea-
ta in fidatu integratissim, Halle,
1750.
4. ————— 1750,
Examen variantium
Lectionum in Epistola jacobi
apocrypharum, Halle

3. — Diff. de unione Hypostata,
tia, eisq[ue] statibus, Halle 1751
6. — Diff. Vindiciae justitiae
vindicatrixis in Deo, Halle 1751
7. — Diff. de Nature et gratiae
nexu, Halle 1751.
8. — Diff. de officijs circa scandala.
Corum genera, Halle, 1752.
9. Bohn f. M. Joh. Henr. / Diff. in
Math. xxvii, v. 8 = 10. Erfordia, 1750.
10. Käufner f. M. Gottfr. / die frage:
ob Maier immalle gegraben. Br.
antwortet. jena 1751.
11. Chrysander f. Mart. Christoph.
Goth. f. von Dr. am ruff der
Academisch-theologischen anstalt,
Wernigerode 1751.
12. Freylinghausen f. Gottlieb Athan. /
Diff. De Canticis quibusdam
quas probatione Dogmatum Theologi,
corum ex attributis Divinis petitio
defiderant, Halle 1751

13. programma Academie frider.
sciae in ferias postscholasticas
Halle 1737.
14. Herligij f. A. Melch. / oratio
de peccato in spiritum sanctum
irremissibili, Islebie. 1594.
15. Rückler f. Christ. frid. / diff. in
2 Reg. um 2, versi: 12, et cap: 13,
versi: 14. Lippia, 1750.
16. Lodemann f. Rud. Diet. / diff.
mens re Hilariori an tristiori
ministrum Ecclesie probum
magis decent, Goettinge 1750
17. Montgel f. A. joh. Henr. / diff.
de phil. historici librorum vct.
Testam: virtutibus et vitijs
occasione Chronicorum ad methodo.
dum Historie Sacre efficie.
rum, Kile, 1750
18. Michaelis f. D. Christ. Seeneder/
programma in Eph: ix. v. 1
de Gaudio ex nativitate nescie,
Halle, 1751,

19. Musaei f. Joh. f. Diff. de peccato
in spiritum sanctum, sene
1750.
20. Nibbe f. Joh. Bartholodi f. Diff. de
creatura ingeniante, Bismarck
1751.
21. philalethi f. Sinceri f. animadversio
ad ps. CXIX, vi, 109. Goettinge
1750.
22. Polani f. D. Anandii f. Diff.
sive Analyse Catechismi
Bafileensis, Bafilee 1602.
23. Richter f. Joh. Georgi f. Diff.
de Arte critica scripture inter.
prete. Lippie, 1750
24. Schubert f. D. Joh. Egn. f. Diff.
de Rationibus theologicis quibus
Electio iuly Belugy Episcopi Num.
burgensis impugnata et propagrata
est, Helmstadt, 1750.
25. Struenke f. Adams f. Diff. de
gaudio in spiritu sancto, tamquam
veniente vere Religione criterio,
Halle, 1751.

26. Fruenke / Adami. / Diff. de
morte spirituali, Halle 1752.
27. Programma Academiae Georgie
Augustae in festum pentecostes,
Göttinge 1752. Act. d. operis.
28. Vöidig / A. Reuth. / Thesaurus
humanae salutis ex scriptura
Nominis Iesu gloria, Elbinge 1630
29. offensio[n]e foeriu[m]ung über
mein [unintelligible] offensio[n]e
botanikus, maxum. v. p[ro]f.
Amt und professor wird.
gezeigt, Wittenberg.



M. JO. HEINRICVS BOHN,

REV. MINIST. EVANGEL. SENIOR,
STVDII THEOLOGICI AVGVSTANAE CONFES-
SIONIS PROFESSOR PVBLICVS,
GYMNASII SENATORII PROT-EPHORVS,
S. ANDREAE ET MAVRITII
PASTOR,

IN

Mattb. XXIII, 8. 9. 10.

COMMENTATVR,

ATQVE

SACRI ORDINIS CANDIDATIS
SCHOLAS SVAS THEOLOGICAS
INDICT.

ERFORDIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
ACAD. TYPOGR.

М.Ю.Н.И.Р.О.В.И.Н.И.Р.О.В.

188. MEDIALA TETRAHEDRON

1991-07-14 10:00:00-05:00

4052

•01 •0 •8 MIKE MAST

ЯУТАИЗМО

SACRI ORDINIS CANDIDATI

SCHOLARSHIP

3.1.1.2.6.1.1.1

THE HISTORY OF HENRY
ADOLPHUS



JESVS, filius & legatus Patris æterni non solum homines docuit, quæ ad salutem consequendam scitu atque creditu necessaria erant: sed & nihil omisit, quo doctrinæ suæ divinam adsereret auctoritatem. Sedulo ac saepius monuit auditores, doctrinam, quam tradebat, non esse suam, sed ejus, a quo missus erat, Joh. VII, 16. VIII, 28. 38. XIV, 10. II, 24. Discipulis quoque serio inculcavit hanc divinam doctrinæ suæ originem, illosque hortatus est, ut ab omnibus iis se abstinerent, ex quibus vel minima oriri posset suspicio, ac si hominibus scientiam rerum divinarum acceptam referre deberent. Atque hanc potissimum ob causam CHRISTVM ea dixisse, quæ Matth. XXIII, 8. 9. 10. leguntur, merito existimamus: ὃ μὲν δὲ μὴ καλῶς τε γενέσθαι. εἰς γάρ ἐστιν ὁ καθηγητής, ὁ χειρός. πάλισδε ὑμεῖς ἀδερφοὶ ἔτετε. καὶ παλέσσα μὴ καλῶς τὸν ἐπί τοῦ γῆς. εἰς γάρ ἐστιν ὁ πατήρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς ἄρασι. πατέρες καλῶς τε καθηγηταί. εἰς γάρ ὑμῶν ἐστιν ὁ καθηγητής, ὁ χειρός. Mirabuntur forsan nonnulli, qui hanc in sententiam ire potuerimus, quum tantum non omnes interpretes sibi aliisque jam pridem persuaserint, fastum præcipue discipulorum reprimere voluisse optimum Servatorem, illosque

A 2

dehor-

dehortari, ne superbos Pharisæorum imitarentur mores, quos atro carbone notaverat v. 5. 6. 7. Quamquam autem & hoc respexisse JESVM non plane inficiemur, principem tamen ejusdem scopum illum fuisse, verisimile non videtur. Majora, sine dubio, supremus iste doctor & discipulos suos & nos docere voluit. Accuratius pensabimus, quidnam sit, quo adeo interdixerit JESVS discipulis suis; ac deinde, quænam fuerit ratio & finis hujus interdicti, inquiremus.

Severe prohibebat discipulos suos JESVS, ne vocarentur *Rabbi* vel *magistri*, neve alium quemquam appellarent *Patrem*. Singulorum verborum propriam ac nativam significationem hic vel maxime attendere juvat, quæ non nisi ex moribus & consuetudine istorum temporum intelligi potest. *Rabbi* nomen erat eorum, qui publico docendi munere fungebantur, atque singulari prædicti erant auctoritate. (a) Solemni ritu inaugurarunt, (b) atque non solum

(a) De origine hujus vocis ad Hillelis tempora referenda vid, LIGHTFOOTI *hor. hebr. in Evangel. Matthæi ad C. XXIII, 7.* vim vocabuli ita explicat BVXTORFIUS: **ר֔ב**, *Magnus, Amplius, Major, sive estate, sive corpore, sive dignitate, tam cibili, quam ecclesiastica, sive doctrina.*

ר֔בְי *Rabbi* **ר֔בְכָה** *Rabbi* **ר֔בְכָה** *Doctorum in Babylonie* fuit nomen, & Kametz pronunciatum pene ut O, Rof, Robo. Postea etiam in communione pronunciari solitum, Rab, Rabbi. **ר֔בְיִ** *Ribbi Doctorum in Palestina* nomen fuit, ex dialecto hierosolymitanæ. **ר֔פַתְּ** *Gestationem ultimam urbis manus* Rab, Rabbi, Rabbi inter Iudeas.

v. JO. BVXTORFIUS *Lexicon Chaldaicum, Talmudicum & Rabbinicum p. 2172, & 2176.* BASNAGE *Histoire des Juifs T II. Lib. III. Chap. XXIX. §. VI. f. p. 1086.*

(b) Vocari solebat hæc inauguratio סמיכה הוקנום ordinatio presbyterorum, de qua digna sunt, quæ hic legantur BVXTORFIUS verba: **סְמִיכָה** *Ketog Seola, manuum impositione: metonymice, promotio, creatio in Magistrum, Doctorem seu Rabbinum, & Judicem, quia manuum impositione siebat.* . . . *Nec promotio solum cum manu siebat, sicut fecit Moses Josue (Deut. XXXII, 9; Num. XXVII, 43), sed etiam cum sermone (sive ver-*

solum in scholis publice docebant, sed etiam judices constituebantur. Coniunctio munerum doctoris & judicis causa videtur fuisse, cur etiam, quando docebant, tantam sibi sumerent auctoritatem, ut ab eorum placitis & sanctis nemini recedere facile liceret. (c) Quid enim facilius est, quam ut homines neque scientia neque potentia destituti plura sibi, quam jus & fas permittit, dari postulent. Qui inter reliquos vel doctrina vel aetate eminebant, pa-

A 3 trum

bis conceptis) duntaxat: sufficit, si dicatur: Ego promocio te Rabbinum, et pro promotus, scilicet Magister vel Rabbi. Iuchasin fol. 60. Promotionum harum rationem describit Majemon in statutis de synedrio, cap. 4. unde quedam apponamus: Olim quidem omnes premoti promovere quoque poterant alios; sed a temporibus Hillelis principis, nemo potest promovere, nisi facultate accepta a Principe synedrii magistrorum. Princeps item Synedrii non potest promovere, nisi presente patre domus iudicis, & hic sicissim non nisi presente principe. Qui vero facultatem promovendi accepit, non poterat illud facere, nisi adhibitis duobus testibus. Nam promotio non potest peragi a paucioribus, quam a tribus. Non poterat hic ritus exerceri extra terram Israëlis nulla ratione: sed tanum in terra Israëlis, unde requirebatur, ut & Promoter & Promotus fuerint in Terra. ... In terra autem si utrique fuerint, præter duos supra dictos modos per maximum impositionem & nudum sermonem, poterat etiam quis absens promoveri, per nuntios, vel per Epistolam & scriptum testimonium. Qui jus promovendi accepérunt, possunt una vice censum vel plures simul promovere. Promotis Rabbinis dabatur & potestas judi-

candi, sive dignitas iudicium. JO. BVXTORFIUS Lexicon Chalda. Talmud. Rabbini, p. 1498. Quæ hic in compendio exhibuit BVXTORFIUS, uberioris explicat JO. SELDENVS de Synedriis veterum Ebreorum Lib. II. C. VII. §. 1. sqq. Conf. BASNAGE Histoire des Juifs Tom. II. Lib. III. Chap. XXIX. §. XV. p. 1092.

(c) BVXTORFIUS l. c. p. 2176. In Apophiegi Patrum R. Gamalielis dictum est cap. 1. fac tibi magistrum & abstrahere te a dubio. Nempe in causa dubia nihil temere pronuncianendum, sed consulendi doctiores. JO ANDR. DANZIVS in dissert. Christi curatio sabbatica vindicata ad Mautb. XII. 1-14. hæc assert: Sic testatur R. Isaac Aventhaf in Menorat Hammorat fol. 23. col. 1. Iis omnibus, quæ Rabbini nostri in bo-miliis suis docuerunt, eadem a nobis, atque legi Mosice fides tribuenda est: & si quid aliquando illis insit, quod sit vel hyperbolicum, vel preter naturam, vel ingenii nostri caput excedere videatur, non illorum verbis, sed ingenii nostri tarditati culpa est assignanda. Et R. Ezechias in Chaskuri suo, quem commentarius est in quinque libros Moysè. Qui dissentit a doctore suo, perinde est,

trum titulo ornari consueverant. (d) Ex his facile colligitur, quonam sensu CHRISTVS prohibuerit, quo minus discipuli sui vocarentur *Rabbi*, & *Magistri*, (e) vel alium appellarent *Patrem*. Non de sola appellatione loquutum esse IESVM, omnes fere consentiunt interpres. Pauciores enim, qui omnem ejusmodi appellationem veritam & illicitam

ac si dissentiret a divina Majestate, qui autem credit verbis sapientum, perinde est, ac si crederet ipsis Deo. *Sid.* JO. GERHARDI MEVSCHENII *Novum Testamentum ex Talmude & antiquitatibus hebraeorum illustratum p. 603.* BASNAGE *Histoire des Juifs Tom. III. L. V. Chap. V. §. XVI. p. 568.*

(d) BVXTORFIVS *l. c. p. 10.* Apud *Talmudicos נָבָן Abba*, Pater etiam honoris nomen olim fuit. . . . In *Juchasin* fol. 31. 2. *Abba*, id est, Pater, non men est honoris, sicut *Rabbi*. Idem scribitur fol. 61. 2. & *Rambam* in *pref.* *Mishchnajoth*, sub *finem*, ubi indicat, quomodo Rabbinii in *Talmud* secundum qualitates suas distinguantur, scribit: *Primus gradus est corum, qui nudo suo nomine appellantur, sine prefigo honoris titulo; secundus corum, qui Rabbinim vocantur. Atque viri bujus gradus cognominantur quoque נָבָן Pater.* BASNAGE *Histoire des Juifs T. II. L. III C. XXIX. §. V. p. 1086.* En effet le titre de *Pere* étoit affecté par les *Pharisiens*, qui avoient bieilli dans la *Secte* & qui s'attribuoient une plus grande autorité par leur âge & par un savoir, conformément dans la *Loi*; car on appelle *Abba*, *Pere*, les sages, qui ont bieilli,

(e) Koynig, Magister non multum differt a *Rabbi*, nisi quod veritatem vi-

deatur, magistrum proprium illum fuisse, qui aliis & verbis & exemplo morum praecepta instillare studet, postea quadam simili praeditus ad obsequium alias cogendi, ut vita dux vocari possit. DESIDER. ERASMVS *Annotat. in N. T. ad h. l. εὐθυγάδης*, inquit, gubernatorem ac moderatorem vita significat. JO. LIGHTFOOT

Hor. hebr. ad h. l. רְבוּ אֶבֶן מִרְאֵי בְּרֵי redduntur *פָּזְבִּי* *versu octavo, וְעַנְגִּי* *versu nono, וְעַדְנְגִּי* *versu decimo.* Vocabulum *רְבִי*, quocum convenire putat LIGHTFOOTVS *εὐθυγάδης*, ita exponit BVXTORFIVS *l. c. p. 1246.* *רְבִי מִרְאֵי בְּרֵי* *Doxinus, Babylonicum, id est, Chaldeum sive syrum vocabulum esse, indicat Elias in suo Thisbi, dum scribit: Ajunt Rabbinii nostri p. m. omne Mor & Raf est ex Babylonie, & omne Ribbi est ex Terra Isrealis. Nempe Babylonici Damizum docabant *רְבִי* Mor, & doctorem *רְבִי* Rof. Iudei autem in sua terra doctorem appellabant *רְבִי* Ribbi, quod hodierni Iudei pronunciant Rabbi. Idem docet JO. SELDENVS de *Synedriis Eborac.* p. 739. Verum quidem est, inquit, εὐθυγάδης, utι εὐθυγάδην esse magistrum (qui aliis praest) & preceptorem & doctorem & via ducem . . . sed idem simili monet, respici ad hebraeorum *נָשָׁנִים* p. 745.*

citam esse judicant, eo facile refelli possunt, quod PAVLVS
 I Tim. II, 7. se ipsum vocaverit ~~didicimus~~^{didicimus} doctorem gen-
 tium, atque diserte dixerit, Dominum ipsum constituisse
~~didicimus~~^{didicimus}. I Cor. XII, 28. Ephes. IV, II. Coll. A&t. XIII, I.
 Plurimi itaque ejusmodi usum harum vocum intelligunt,
 qui cum ambitione honorumque contentione insigni
 conjunctus est, qualis erat apud Judæos eorumque docto-
 res. (f) Sed proprius ad veritatem accedunt, qui istam
 horum titulorum usurpationem intelligunt, quæ publica
 nitebatur auctoritate. (g) Nemini enim, utut arroganti
 licebat sibi honorem & nomen doctoris tribuere, nisi pu-
 blice inaugurato, nec facile quemquam illo afficiebant ho-
 nore, nisi constaret, synedrii decreto ad illud honoris fasti-
 gium

(f) Hæc est interpretatio Harmon, Eban-
 gel. CHEMNIT. LTSERO. GERHAR-
 DIANÆ: Posterior pars specialis ad-
 monitionis de cavenda scribarum &
 pharisaorum ambitione continet dehorta-
 tionem ab ambitiosorum titulorum
 cupiditate, tique oppositam exhortationem
 ad humilitatem & modestiam.
 Consentit ROB. BELLARMINVS
 Controv. Tom. I. de verbo Dei Lib. III.
 Cap. X. Non prohibet Dominus no-
 men & officium magistri, sed ambitio-
 nem & afflictionem illius honoris. Et
 DAVID PAREVS Commentar. in Mat-
 theum Opp. Theol. Exeg. Tom. I. p.
 824. Hos (discipulos) inquit, a vitiis
 modo dictis omnibus quidem jubet sibi
 cavere, nominative vero flulta affecta-
 tione fastuosi tituli Rabbi, sub qua ge-
 neratim ambitionem omnem intelligit,
 ad quam non ignorabat ex præteritis,
 discipulos suos admotum proclives esse.

(g) Hanc sententiam tuerit SELDENVS
 I. c. p. 739. Nihil magis, inquit, me
 hanc in conjecturam inclinabit, quam
 usus solennis apud Ebros vocis קָרְבָּן
 καρβάν, vocare, pro eo etiam, quod erat
 nomen dignitatis presbyteralis judicia-
 rie seu Rabbinatus integri imponere.
 Expressum in antea allatis, juxta betu-
 sfiores, Maimonides, nominem ordinata-
 tum esse (plenarie saltem & universali-
 ter) רָבִי שָׁׁוֹרְן רָבִי, quin
 vocari eum Rabbi. Ita nomen seu
 vocari Rabbinum קָרְבָּן vocatio
 Rabbi voces fuerint, que creationem
 ac ordinacionem in Rabbinatum, nec
 simplicem salutationem compellationem
 ve, voc etiam Evangelii loco designa-
 rent. Atque ita voces etiam significa-
 bat esse, fieri, creari, quemadmodum
 idem multoies in fidere utroque קָרְבָּן
 καρβάն vocare, passim usurpanur ad
 designationem, quidnam res ipsa fuerit
 qui facia sit per ejusmodi vocacionem.

gium eumdem euentum fuisse. (h) Hoc itaque interdicto JESVS omnem discipulorum suorum cum synagoga judai- ca consuetudinem omneque commercium vetare voluit, eosque prohibere, ne docendi potestatem ab ista schola in se transferri curarent. Nec est, quod objiciatur, non me- tuendum fuisse, ne discipuli hanc dignitatem vel ipsi am- birent vel facile consequerentur. Ut enim omittamus, discipulos vel fastu turgidos, vel pacis nimium studiosos facile induci potuisse, ut unionem & reconciliationem cum Judæorum schola quam deseruisse videbantur, vel ipsi quærerent, vel facile impetrarent: apertum tamen est, quod JESVS ista non tantum discipulorum, sed & reliquo- rum, qui ipsum comitabantur, caussa dixerit. Nam MAT- THÆVS initio hujus capitii diserte monet: JESVM & plebem & discipulos suos adlocutum esse. Plebis enim vel maxime intererat scire, JESVM & discipulos ejus a schola Judæorum nihil auctoritatis mutuatos fuisse vel mutuari umquam voluisse.

Fa-

(h) Notum equidem est, quod nonnulli JESVM cumquam a Synedrio inaugu- gatum, tamen vocaverint Rabbi, sed eam id fecisse videatur ob causam, quod minime dubitabant, illi, tot tantisque doctoris doctibus eximio pu- blicè docendi auctoritatem collatam fuisse. Non enim omnium erat ac- curate scire, que Hierosolymis docto- res agerent. Alii autem, quibus re- rum indoles magis nota erat, vehe- menter mirabantur, qui JESVS publi- ce doceret, *oī εἰσοιαὶ ξαν*, ac si publi- ca docendi auctoritate munitus esset, quum tamen optime scirent, legis perito- res & phariseos ceteri in hanc numerum dediti, nec umquam datus esse licen-

tiam, quia doctrina JESV ab illorum doctrina maxime diversa erat, quam vim putamus esse verborum Marth. VII, 29. Marc. I, 22. CAMPEGIVS VI- TRINGA quidem de Synag. Vet. Lib. III. Part. I. C. 7. non improbandura putavit, JESVM aliosque N. T. mini- stros vere ritu iudaico in ordinem do- citorum fuisse cooptatos, & ut tales in Judeorum scholis agnitos, quam- diu cœtus Christianorum se nondum penitus a iudaica Ecclesia separave- rati; sed merito hac sententia, tam- quam Servatori id tribuens, quod eum minime decebat, rejicitur a FR. D. ADOLPH. LAMPE Comment. in Jo- hannem C. I, 39. P. I. p. 451.

Facilius hæc intelligentur, si & scopum seu cauſſam
investigemus, cur JESV S hæc dixerit. Interpretum co-
hortem si sequi placet, potissimum de fastu discipulorum
coercendo cogitandum eſſet; nec plane negandum putam-
mus, & huc animum intendiſſe sapientiſſimum Servato-
rem, cui animorū intimi patebant recessus: id tamen
nobis dari postulamus, non fastum generatim spectatum,
ſed illam ejusdem ſpeciem intellexiſſe JESVM, quæ Phariſ-
ſæorum & legiſperitorum animos inflaverat. Hi enim ſibi
licere putabant aliis & fidei & morum præcepta ita obtru-
dere, ut de eorum veritate ne dubitare quidem fas eſſet,
eamque auſtoritatē a Synedrio ſe accepiffe, quippe quod
Mōſis cathedram occupaſſet. v. 2. eamdemque, qua Mō-
ſes, polleret potestate. Innuit hunc fastum JESV S v. 4. re-
prehendens doctores iſtos, quod colligarent onera gra-
via & portatu diſſicilia, aliorumque humeriſ imponerent.
Onera enim iſta nil niſi varia præcepta, variique ritus
erant atque corporis exercitationes, quas tamquam ad
ſalutem conſequendam neceſſarias, etiſ diſſiciles, negligere
minime liceret. Ipſe JESV S ſuam doctrinam ſuumque
doſendi modum iſtis Phariſæorum moribus opponiſ
Matth. XI, 28. Illos enim, qui ſub jugo phariſaicorum
præceptorum gemebant, nec animi tranquillitatē con-
ſequi poterant, ad ſe humaniſſime vocat, adſeverans, ju-
gum ſuum commodum & onus leve eſſe, hoc eſt, & pau-
ca & jucunda eſſe ſua præcepta ſuamque doctrinam, at-
que ſe ipſum eſſe mitem & animo ſubmiſſum, nec quem-
quam vi & minis ad obſequium cogere, a nemine enim
ſe poſtulare adſenſum & obſequium, niſi ipſe conviectus ſit,
divina eſſe & neceſſaria, quæ didicerit. Verum hæc, fo-
la ſi ſpectes, nondum rem omnem conficiunt. Præcipue
B enim

enim JESVS his verbis ostendere volebat, Apostolos suos nulla humana auctoritate nisi debere, sed eorum doctrinam solum a Deo, Patre ejusque legato & filio veritatem ac virtutem suam accepisse, quo firmior esset hominum, qui hanc amplexuri essent doctrinam, adsensus, atque ab omni fallendi periculo immunis. Minime haec a nobis gratis dicuntur, ipsa potius Servatoris verba id satis perspicue indicant, quibus rationes & causas declarat, cur adeo ab his nominibus, *Doctoris, Patris, Ducis* abhorrire discipuli debeant. *Nolite, inquit, vocari Rabbi, unus est enim doctor vester Christus.* (i) Si tantummodo a fastu & honoris cupiditate suos liberare voluisse JESVS, aliis id verbis, quemadmodum deinde v. 12. sine dubio fecisset. Verum istae, quas CHRISTVS attulit, causæ satis evincunt, vera esse, quæ adstruximus. Si enim solus Messias Novi foederis temporibus noster doctor est, necessario cogitur, illos, qui tunc doctores vocari amabant, sibiique supremam docendi & præcipiendi potestatem arrogabant, deserendos esse, atque solum Messiam discipulis docendi auctoritatem largiri posse. Duplex itaque vitium cavendum erat discipulis, alterum, ne more Judæorum humanam auctoritatem in rebus ad cultum divinum & æternam salutem consequendam pertinentibus tantam esse putarent, quæ alios ad fidem & obsequium cogeret; ne quoque hanc auctoritatem a schola judaica sibi concedi forsan optarent, alterum; unice enim eamdem

Messiae

(i) Praferenda hic videtur eorum codicilum auctoritas, qui v. 8. non καθηγητος, sed διδάσκαλος exhibent, de quibus vid. JO. ALBERT. BENGELII *N. T. sacram.*, & *Apparatum Crit.*, nec

non GROTIUM ad h. l. nam aptius convenit διδάσκαλος cum voce Rabbi, & deinde καθηγητος v. 10. iterum occurrit. Cum nemine tamen, cui recepta magis placet lectio, litigabimus.

Messiae acceptam ferendam esse. (k) Quum autem tunc temporis JESVM Messiam quidem crederent esse, de divina tamen ejus natura obscurius essent eruditii, ulterius progre-
ditur

B 2

(k) Idque ut actiores in animis discipulorum ageret radices, hanc simul causam addit: *Omnis autem vos fratres estis.* Quo illis in animum revocare voluisse videtur illud JEREMIAE effatum *C. XXXI, 34.* Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: cognosc Domum. Ubi præcipue vim vocis *לֹבֶן* attendere decet, denotat enim in Piel ejusmodi docendi actum, qui cum potestate & coactione conjunctus est. Hinc Jerem. XXXI, 18. de rudi vitulo adhibetur. Optima itaque est interpretatio JO. HEINRICI MICHAELIS in Bibl. hebr ad l. c. Unde, inquit, non docebunt amplius, scil. MAGISTERIALITER, aut legali quadam ratione & ex dissidentia: q. d. Tanta erit gratia N. T. abundantia, ut ejus alumni (quatenus acceptam a me uniuersitatem sequuti fuerint) hanc egeant epodioν, qui ipsos (quasi imperitos, semper discentes, nec tamen ad veritatis agnitionem unquam pervenientes, II. Tim. III, 7.) PVERILITER instruat. Job VI, 45. I. Job, II, 20, 27. an SERVORVM INSTAR ad agnoscendum amandumque Deum DESPOTICE urgeat, impellat & legislatori imperet, Job XV, 15. I. Thess IV, 9. Quocum apprime convenit Jel. LIV, 13. ubi cives reipublicæ christianæ omnes a Deo docti vocantur, quia solam JESU CHRISTI divinam securi sunt doctrinam, ut non solum ipse CHRISTUS Joh. VI, 45, ad hoc dictum pro-

vocet, sed & Apostolus I. Thess. IV, 9. dicat: *ιεροί ἡσά Θεοδακτοί.* Subtilior, quam prior est sententia PHILIPPIA LIMBORCH, qui putat, quod *δακτοί Θεοί* sine proprio non docti a Deo, sed docti de Deo, id est voluntatis divinae, lege contenta, probe imbuti. Theol. Christian. L. I. c. V. §. 18. frigidior adhuc est GROTIUS, qui divini vatis verba ita παραφράζει Bene institutos a Daniele, Aggeo, Zephania, Malachia Prophetis, merito reprehensus a CALOVIO in bibl. illustr. ad b. l. Meliora sunt & saniora, quæ CAMPEG. VITRINGA Comment. ad Jes. LIV, 13. scripsit: Alterum, proxime huic cognatum, hoc beneficio involvitur, fore videlicet, ut Ecclesia hoc tempore DEO SOLO DOCTORE gaudent, & IN FIDE ab ipso solo IMMEDIATE dependeat: cuius consequens est, societatem hanc nos & Hierosolymam constituturam esse corpus scholasticum Discipulorum (*μαθητῶν*, ut pafsim in Attis) qui immediate A DEO DOCERENTVR (*Θεοδακτοί*) & dependent. Frater hoc statu non dicit fratris, cognosce Jehovahm, nec vir doceat proximum suum, scil. cum autoritate. Verbum Dei hoc tempore in medio possum est. In ejus auctoritatem & conscientiam a spiritu illuminatam omne iudicium resoluunt: auctoritate omni SEDENTIVM IN CATHEDRA MOSIS, que sub auctoritate Veteri conscientiam in ritualibus obligabat, abolita. Didum Domini Matth. XXIII, 8.

ditur JESVS, aliamque affert caussam, cur neminem, nisi Messiam doctorem suum agnoscere debeant, quia unus Pater eorum sit in cœlis. Quod Pater hic idem sit ac scholæ doctor auctoritate reliquis antecellens, jam antea monuimus. Deum itaque solum doctrinæ novi foederis auctorem esse his monstrabat JESVS, is erat omnium Pater atque Præses scholæ istius cœlestis, ab illo ipse didicerat filius, nec alia docuerat discipulos suos, quam quæ a Patre audiverat. Tandem iterum JESVS monet, unicum esse Magistrum, Messiam. Atque hæc caussa necessario afferri debebat. Non solum enim doctrinam Pharisæorum, sed mores etiam perstrinxerat JESVS, suosque nunc dehortabatur, ne vel istorum sectarentur mores, vel ipsi proprio ausu magistros aliorum vitæque moderatores fieri posse autumarent, quos tamquam ex omni parte perfectos imitari alios oporteret. Unicum potius idque omni vitio carens esse exemplum, quod tuto sequi possint homines, Messiam. (1)

Varia,

Nec vocemini doctores aut Rabbi: Unus est Doctor Sefer, Christus. Omnes autem vos fratres estis. Gloria itaque & lux divina hanc civitatem spiritualiæ illustrat ac pervadit totam.

(1) Digna est, quæ confaratur elegantissimi Ill. ac Ven. MOSHEMII Oratio de Christo unice Theologo imitando, in Syntagm. Differt. ad sanctiores disciplinas pertinentium p. 579. f. Ceterum hac nostra interpretatio non defituitur præstantissimorum virorum suffragio. HVGO GROTIUS ad h. l. Præter communem, inquit, rationem τῆς ταπεινοφερούντος, aliam peculiarem addit. Christus, cur sibi sectatores iſtas

appellationes expetere non deberent, eo præseruum sensu, quo a Judais expetabantur. Nam qui eruditii erant inter Judeos, cum nomine Doctoris etiam auctoritatem sibi vindicabant, quod si sum esset docendi, & credi sibi solebant. At Christi sectatores non debebant populum ea docere, tanquam obseruatu necessaria, quæ ipsis talia videbantur, sed ea tantum, quæ Christus ipse necessaria pronunciasset. Judæorum alii alios se hababant magistros & ab eorum pendebant auctoritate: at inter Christianos eo modo dici, ego sum Cepha, ego Pauli, ego Apollo, nefas est. vid. CALO-VII Bibl. illustrat. ad Matth. XXIII. Ita quoque SAM. VVERENFELSIUS

Varia, eaque satis fructuosa ex his, rite si perpendantur, intelligi possunt. Patet primum, sapientissime egisse optimum Servatorem, quod homines discipulos & legatos suos esse voluerit, qui litterarum plane rudes erant. Si tantummodo doctrinam Judæorum propagare vel emendare quoque voluisset, imprudentiae quidem signum fuisset, hominibus id munus concredere ab omni eruditione relatis. Verum quum nova planeque divina doctrina orbis annuncienda esset, omnino humanæ eruditionis imperiti esse debebant hi præcones, præcipue autem omne quod scholam & eruditionem judaicam sapiebat, a suis procul abesse volebat JESVS, quo clarius divina doctrinæ suæ virtus ab omnibus cognosceretur. Apparet etiam caussa, cur non plures nec pauciores in numero discipulorum habere voluerit JESVS, quam Illustr. MOSHEMII verbis indicare malumus quam nostris: *Quærunt, inquit, viri docti, quænam ipsum caussa commoverit, ut duodecim, non plures, nec pauciores, Apostolos, atque septuaginta discipulos crearet, variisque conjecturis hanc questionem dirimere student. Nobis veri videtur simile, ideo duodecim rerum suarum testes Dominum sibi sociasse, ut imagine quadam significaret, sese Regem & Dominum esse gentis Judæorum in duodecim tribus divisæ: Septuaginta vero*

B 3

Opusc. Theol. Philos. & Philol. ed. Gen. 1739. p. 268. Reprehendit (JESVS) in primis audaciam talium magistrorum, cum hoc specioso titulo Rabbi nescio quam æquaerat, sibi arrogantium, dum docabant, a Magistri sententia nemini licere recedere, aut dicere quidquam a magistro non auditum, huic vero etiam dextrum sinistrum vocet, & quidvis, etiam contra Dei legem, proponat, fidem esse habendam.

Hac omnia a Discipulis suis procul ab esse vult, & sine dubio abesse quoque debent ab bocnris ejus ministris. Eadem docet VVOLFFGANG. FRANZIVS de interpret. S. Script. pag. 590. QVENSTEDIVS in program. 1669. Scripto, iterumque typis exciso in GABR. TERNE Syllog. Program. exeget. p. 427. FLACIVS Clas. Soc. Preceptor. AVGVST. MARLORATVS Novi Testam. expositi. Cathol. ecclasiast. ad b. l.

vero discipulos docendi facultate instructos, ideo ad Judeos misse, ut supremum sese doctorem & Pontificem Maximum populi esse, ostenderet. Publicum enim Judæorum consilium, cui auctoritas sacrorum prævarat, LXX. aut LXXII. senatoribus, jurisque divini consuleis constabat. Conjiciant felicius in re obscura, nec usquam explicata, qui possunt. (m)

Deinde ex his liquet, JESVM usum harum vocum non ita illicitum pronunciasse, ut & in religionis negotio numquam illas adhibere fas esset. Discipulos suos potius eadem auctoritate satisque augusta docendi, iisdemque titulis ornavit. (n) Tantum voluit, ut quidquid hujus esset dignitatis ac potestatis, nemini, nisi soli Messiae atque Deo acceptum haberent. Ipsique hac potestate usi sunt JESV Apostoli, verum ita, ut perpetuo monerebant, doctrinæ, quam aliis tradebant, se non auctores esse, sed testes tantum, (o) sibique hoc negotium a solo CHRISTO datum esse, cuius mandata diligenter persequi deberent. Hinc etiam PAVLVS, quando de fidei dogmate loquitur, expresse addit: *a Domino accepi & vobis tradidi* 1 Cor. XI, 23. quando autem ~~moderato~~^{moderatorem} seu vitæ moderatorem aliis se exhibet: *imitatore, inquit, mei estote, quemadmodum ego quoque sum Christi* 1 Cor. XI, 1. Idemque Apostolus vehementer in eos invehitur, qui hominum auctoritati nimium tribuentes, variis nominibus se ab aliis discernebant 1 Cor. I, II. s. Atque hæc vestigia premebant purioris ævi christiani. ARNOBIVS adversus gentes disputans: (p) *Vos, inquit, Platonis, vos*

(m) Vid. JO. LAVR. MOSHEMII *Institutiones Historiae Christianæ antiquioris* p. 49. 50.

(n) Matth. XXXIII, 34.

(o) Joh. XV, 27. Act. II, 32. III, 15.
1. Joh. I, 1. 2. 3.

(p) Lib. II. p. 150, ed. DE LA BARRE *Paris, 1580.*

vos Plotino, vos Numenio, vel cui libuerit, creditis: nos credimus & acquiescimus Christo. IGNATIVS (q): *Imitatores esse Jesu Christi, ut & ipse Patris ipsius.*

Minime itaque ex hoc dicto evinci potest, sequiorum temporum Christianis interdictum esse usum ejusmodi vocum, quae docendi facultatem indicant. Quum enim ne quidem Apostolos plane abstinere voluerit IESVS ab ipsis titulis, cur alii iisdem uti minime licere putandum esset? quum etiam nemo, cui sanum est sinciput, eo sensu doctoris dignitatem hodie sibi tribuat, ut ipse auctor doctrinæ cuiusdam divinæ sit, cui sine ulteriori scrutinio habenda sit fides, sed quotquot sapiunt, se tantum voluntatis divinæ interpres, christique testes esse (r) profiteantur: non est, cur usum istarum vocum ita nonnulli formidaverint, ut illum a CHRISTI discipulis longe removendum putarent. (s) Hac enim adhibita circumspectione & vetustiores ecclesiae doctores Patres, & hodiernos, doctores, magistros vel professores tuto vocare possumus, modo perpetuo cogitemus,

(q) Epist. ad Philadelph. §. VII. v. IT.
TIGII Bibliothec. Patr. Apost. p. 124.

(r) Longe tamen inferiores Apostolis. Hi enim cum CHRISTO versati erant, atque extraordinario SPIR. S. lumine collustrati, iisque doribus instruti, ut ab omni errandi periculo effent imunes, quæ felicitas hodie nemini, doctissimo licet, contingit. Maxime itaque viris cordatis placet ingenua OPTATI MILEVITANI confessio: *Vos dicitis, licet; nos dicimus, non licet.* Inter licet vestrum & non licet nostrum mutant & remigant animi populorum. Nemo debet credat, nemo nobis, omnes contentiosi homines sumus.

De celo querendus est judex. De Schismate Donatistarum Lib. V. §. III. Conf. SAM. VVERENFELSI. Dissert. Apologetica pro plebe Christiana adversus doctores judicium de dogmatibus fidei illi auferentes. Opus. Theol. Philos. & Philol. p. 1. f.

(s) Quam sententiam non solum ANDREÆ BODENSTEIN, vulgo CAROLOSTADIO, sed etiam SIMONI GRTNÆO, SEBASTIANO MVNSTERO, OSVALDO MTCONIO, PHILIPPO MELANCHTHONI, JOHANNI OPORINO tribuit SAM. VVERENFELSIUS l. e. p. 266. f. nec desunt alia exempla;

gitemus, nemini parem cum CHRISTO auctoritatem tribuendam esse, eum potius solum supremum nostrum esse doctorem & falli & fallere nescium. (t)

Atque haec præfari libuit, Auditores charissimi! quum consilium de iterum aperiendis scholis nostris theologicis vobis nunciandum esset. Ad finem perduximus P. c. D. explicationem Augustanæ Confessionis, atque ut desiderium quorundam vestrum non ingratum nobis fuisse, intelligatis, ea lege, Deo vitam viresque largiente, Confessionem istam iterum tractaturi sumus, ut alternis vicibus & interrogando vestram tentemus scientiam, & vobis copiam faciamus meditata vestra, etiam ea, quæ dubia videntur, disputando in medium proferendi, ea unice fini, ut apprime Augustanam Confessionem cum ScripturaS. convenire perspiciatis, (v) eamque solam ob causam doctrinæ nostræ fidem habentes, JESVM unicum doctorem & magistrum & fide & vivendi ratione sequamini.

P. P. Erfordiæ Dom. II. p. Trin. M DCCL.

(t) Ad eorum itaque numerum referendum est, quod jam explicavimus, dictum, quæ ad discipulos CHRISTI proxime pertinebant, atque ad alios vel plane non, vel quodam tantum modo transferri debent. Opera pretium est, ut vir quidam & eruditio ne & perspicacitate satis instructus ex instituto ejusmodi dicta illustraret, quem interpretatio eorumdem, quæ hui & scopo loquentis adversatur, va-

rios, nec contemnendos errores, præcipue in morum doctrina gignere soleat.

(v) Scriptura est regula & norma fidei: Symbola vero testimoniis tantum partes sustinent, ideoque tenentur testimonium suum ex amissim ad normam scripture conformare. Ef. VIII, 20. CALOV. Exegem. Aug. Confess. Prolegom. Cap. I. §. 13.

aw 27.

01 A 6579

VDN

Dakto ✓





M. JO. HEINRICVS BOHN,

REV. MINIST. EVANGEL. SENIOR,
STVDII THEOLOGICI AVGVSTANAE CONFES-
SIONIS PROFESSOR PVBLICVS,
GYMNASII SENATORII PROT-EPHORVS,
S. ANDREAE ET MAVRITII
PASTOR,

IN
Matth. XXIII, 8. 9. 10.
COMMENTATVR,

ATQVE

SACRI ORDINIS CANDIDATIS
SCHOLAS SVAS THEOLOGICAS
INDICIT.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
ACAD. TYPOGR.